



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales**

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1602**

Præfatio Auctoris Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14077**

# PRÆFATIO AVCTORIS AD LECTOREM.



**V**OS de Moralibus Institutionibus libros scripseram, edere incipio: vtinam tam foelix, tam iucundum & gratum opus, quàm iustum, quàm pium & omnibus debitum obsequium! Quidam fortassis opinabuntur, hos libros, quos nunc in publicum profero, nondum satis maturos in aspectum, & lucem publicam prodire: cum optimum sit illud Horatij consilium, qui monet, ne præcipitetur editio, sed nonum prematur in annum. At me, vt eos iam emitterem, multa coegerunt. In primis, quidam opus hoc desiderijs & precibus expetebant: quidam quotidiano ferè conuitio efflagitabant: nonnulli missis ad me literis requirebant: plerique vrgebant: demum ij, quorum iussa recusare iure non potui, suo nomine quasi debitum officium postulabant. Componendis his, & cæteris libris, quos, vt spero, Deo duce, foras propediem dabo, multos, crede mihi, dies, & annos impendi. Nam multum tempus datum est, & legendis auctoribus, qui sunt innumerabiles, & tot, tantarumque rerum veritati inquirenda, quæ sapius crassis circumfusa tenebris delitescit. Multa quoque diligentia, & opera posita est, in controuersijs instituti operis propè infiniti, ad certos locos & numeros dilucidè, distinctè, & breuiter redigendis. Est enim longè difficillimum multa in pauca contrahere: & nihil, quod desideretur, omittere: & perspicuitatem cum breuitate coniungere: & quæ post multum laborem inueneris, ad certa artis præcepta reuocare: cum magni iudicij & facultatis esse debeat, qui inuenta aptè & rectè disponit. Feci, quod potui: qui ingenio superent, multos numeres: qui dicendi arte, & sermonis cultu præstet, passim inuenies: qui rerum scientia & doctrina excellent, potiores sint alij: qui sua accuratius confirmant, & aliena subtiliùs confutent, reperies fortasse non paucos: qui ad hæc omnia nonnullam facultatem, licet tenuem & paruum, adiunxerint, sed magnam animi voluntatem & studium, paucos, nisi mea me fallit opinio, nominabis. Memineris in expedienda tanta quæstionum & rerum materia, in perlustranda tanta opinionum & sententiarum sylua, nunquam offendere, plusquam humanæ foelicitatis esse. Homo sum, hominis est labi, errare, falli. Si quid temerè, si quid minus cautè dixisse, si quid minus sapienter docuisse videbor, ingenij mei tenuitatem, virium imbecillitatem agnoscam. Sincero animo causam ipsam age: sine contentiõis studio, lege, euolue, corrige, vbique memor humanitatis. Foelicioribus ingenijs, & doctioribus hominibus patefacta semper est via: semper apertus est campus: vbi eruditionem & doctrinam ostentent. Memineris te quamuis magnum alioqui virum ingenio, doctrina, & rerum experientia præstantem, hominem tamen esse, qui dum aliena errata corrigis, dum aliorum scripta coarguis, decipi, & errare facillè possis.

Hos libros inscripsi Institutiones Morales, scriptores veteres imitatus, quorum quidam Diuinas, alij Ciuiles, alij oratorias Institutiones vtiliter posteris tradiderunt. In his ea breuiter complector, quæ Theologi, quæ Canones & Leges, quæ Pontificij, & Ciuilis iuris interpretes, quæ Summi stæ literis prodiderunt de ijs, quæ pertinent ad conscientiam rectè aut prauè factorum.

Vniuersam materiam ad quatuor capita reduxi, videlicet ad Decem Diuinæ Legis præcepta, quæ Decalogo continentur, ad septem instituta à Christo

Domino

Domino Sacramenta: ad tres Ecclesiasticas censuras, & alias pœnas, quibus delicta puniuntur, & ad remissiones siue condonationes peccatorum, quas Indulgentias vocamus: demum ad ea, quæ de statu hominum, & de bonorum ac malorum finibus disputantur.

Ceterum tanquam prima totius operis elementa septem primis libris ea tracto, quæ in Prima Secunda S. Thomas recto ordine disputauit: nimirum de Actionibus humanis: de honestate & turpitudine humanarum actionum: de Affectibus, quibus ad bonum, aut malum sæpius incitatur: de Habitibus, qui assidua exercitatione comparantur in nobis: de virtutibus vniuersim, quæ nos ad bonum impellunt: de peccatis itidem generatim, quibus leges & iura perfringimus: de Legibus humanis, de Diuina in super & naturali lege, de quinque Ecclesiæ mandatis, quibus omnibus tanquam regulis actiones hominum diriguntur: in sex alijs Primæ partis libris, de ijs dissero, quæ ad Fidem, Spem, Charitatem, religionemque pertinent, de iureiurando itidem, de voto, & de ijs, quæ ad Monachorum, Religiosorumque omnium statum spectant: & ita Primæ parti finem impono.

*CLAVDIVS AQUAVIVA, SOCIETATIS IESV PRÆPOSITVS GENERALIS.*

Cum tomum hunc primum institutionum Moralium, à P. Ioanne Azorio nostræ Societatis Theologo compositum, quatuor eiusdem Societatis Theologi; quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concessimus, vt typis mandetur, si ita Reuerendissimo D. Vicegerenti, & Reuerendis. Patri Magistro Sacri Palatii placuerit. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus, Romæ viii. Septembris 1600.

*Claudius Aquaviva Soc. IESV Præpositus Generalis.*

*Imprimatur si videbitur R. P. Magistro Sacri Palatii.*

B. Gypsius Prouicesgerens.

*Imprimatur.*

Fr. Angelus Baronius Venetus, Magister, & Reuerendis. P. M. Sacri Palatii Socius Ord. Præd.